

1506 polim adventabat, ut, quoniam ad Philippum generum omnis prope Hispaniæ nobilitas confluebat, atque ipsum pristina populorum gratia, dignitasque apud eas nationes destituebant, id in regnum se conferret, cuius ille particeps non esset. Eam ob rem Patres Georgium Pisanum, Marcum Dandulum legatos creaverunt, qui Neapolim ad Ferdinandum proficiscerentur, de ejus in Italiam adventu gratulatum. atque is nequedum Neapolim attigerat, cum Philippus in Hispania, quo socrus mortua mari e Belgio venerat, pituita interiit. ita sunt magna incœpta spesque ingentes una cum vita juveni abruptæ. Eam ob filii mortem Maximilianus pater suum in aliud tempus Romanum iter distulit : quique jam præmissi ab eo in Alpibus Germani erant milites, domum revocati redierunt. Julius autem, qui omnes suos conatus eo intenderat, ut oppidum Bononiam in suam ditionem atque imperium revocaret; cuius quidem oppidi regnum tametsi Romani juris esset, a Joanne tamen Bentivolo obtinebatur; comparatis rebus omnibus, quæ ad bellum usui essent, Roma cum exercitu & collegio in Flaminiam æstate jam confecta discesserat, ut illum oppido expelleret. quod omnino longe facilius, quam hominum opinio ferebat, propter ingens civitatis in illum odium, adductis in fines oppidi, quas & ipse habebat, & ab rege Gallo acceperat, copiis, mense octobri est affecutus. Ea illi de re ab Dominico Pisano legato, qui Antonio successerat, reipublicæ nomine gratulatio est facta : tametsi ipse quoque Julius suum tabellarium cum literis ad Senatum miserat, quæ illum iis de rebus docerent. Ultimis anni diebus, propterea quod saepè fiebat, ut qui impetrare magnam aut difficilem rem aliquam a magistratibus cuperent, regum & Pontificum maximorum legatis uterentur, qui eos Principi Patribusque commendarent; interdum etiam ipsorum regum principumque civitatum ad urbem venientium patrocinio nitebantur, quorum auctoritati Patres prope negare nihil poterant : Senatusconsultum factum est, cui quid a Patribus impetrare sit necesse, is neque virum principem, neque

Philippi  
Austriaci  
obitus  
III. kal.  
octobr.